

DISSERTATIO V

DE JUSTIFICATIONE PECCATORIS

S. Thomas, q. 113.

Duo sunt effectus gratiæ, scilicet justificatio peccatoris et meritum justi. De primo in hac dissert., de secundo in sequenti dicemus.

ARTICULUS I

Utrum in justificatione impii peccata vere deleantur et auferantur, et non solum tegantur?

Dico : In justificatione peccatoris ejus peccata non solum teguntur, seu non imputantur, sed vere remittuntur, delentur et auferuntur. Est contra Lutheranos et Calvinistas.

Probatur 1º formalissimis terminis Scripturæ. Psal. I, 3 : Dele iniquitatem meam. Et 11 : Omnes iniquitates meas dele. Isa., XLIII, 25 : Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me. Osee, XIV, 3 : Omnem aufer iniquitatem. Michææ, VII, 18 : Quis Deus similis tui, qui auferis iniquitatem? Joann., I, 29 : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.

Probatur 2º aliis terminis Scripturæ. Homo per peccatum interius maculatur et inquinatur, ut diximus de peccatis, et omnes conveniunt. Atqui, juxta Scripturam, homo in sua justificatione a peccatis mundatur, lavatur, purgatur et sanctificatur. Psal. I, 9 : Lavabis me, et super nivem dealbabor. Ezech., XXXVI, 25 : Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. I Joann., I, 7 : Sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. Si autem peccata solum tegantur, falso dicitur homo ab iis mundari, lavari, purgari, etc.

Quis enim dicat hominem sordibus inquinatum, esse mundum et ablutum, quia sordes pallio tegit?

[*Probatur 3º ex concilio Trid., sess. v, can. 5, ubi dicitur : « Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam que in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari; anathema sit. » Et sess. VI, cap. 7, docetur quod « justificatio non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum : unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus. » Porro hæc renovatio interioris hominis non potest consistere in eo quod peccatum radatur tantum et non imputetur, quia tunc peccatum revera maneret in anima, quæ intrinsecus non renovaretur, et homo non esset vere justus, sed tantum extrinsece ut justus haberetur, et non posset Dei amicus fieri.]*

Probatur 4º ex Augustino. S. Doctor, lib. I ad Bonif. contra duas epist. Pelag., c. 13, n. 26, Pelagianis dicentibus Catholicos docere baptismum non auferre crimina, sed radere, et eorum radices remanere, respondet : « Dicimus baptismum dare omnium indulgentiam peccatorum et auferre crimina, non radere. » Et Enarrat. II in Psal. xxxi, n. 9, exponens illa verba : Beati quorum remissa sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata, quibus maxime confidunt hæretici, ait : « Nec sic intelligatis quod dixit : « peccata cooperta sunt, » quasi ibi sint et vivant. » Ibid. n. 12 : « Deus tegat vulnera, noli tu. Nam, si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat et curet; emplastro enim tegit. Sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus. » Sic igitur, juxta Augustinum, Deus tegit vulnera, ut tegendo sanet sicut medicus qui emplastro tegit vulnus et sanat. Quod plane decretorium est contra hæreticos. Alios Patres vide, si lubet, apud Bellarminum, lib. II de Justif., c. 8.

Probatur 5^o ab absurdis. Si in justificatione impii peccata remaneant et solum tegantur, non vero deleantur et destruantur, sequitur 1^o quod homo erit simul justus et injustus : justus, quia justificatur; injustus, quia remanet in peccato, quod est essentialiter injustitia. 2^o Sequitur quod Deus diligat peccatores ut amicos suos, et in ordine ad æternam beatitudinem, contra illud *Sap.*, xiv, 9 : *Odio sunt Deo impius et impietas ejus.*

ARTICULUS II

Utrum ad remissionem peccati, quæ est justificatio impii, requiratur gratiæ infusio?

Dico : Remissio peccatorum, quæ est justificatio peccatoris, non fit per imputationem extrinsecam justitiæ qua Deus justus est, aut justitiæ Christi, sed per veram et intrinsecam justitiam, seu gratiæ habitualis infusionem¹.

Est de fide iterum contra Lutheranos et Calvinistas decisa in concil. Trid., sess. vi, can. 11.

[Ibi legitur : « Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur atque illis inhæreat, aut etiam gratiam qua justificamur esse tantum favorem Dei ; anathema sit. »]

Probatur 1^o ex Scripturis art. præcedenti, prob. 2^a, laudatis, quibus peccator dicitur lavari, purgari, renovari, sanctificari ; nemo enim potest esse lotus, purgatus, renovatus, sanctificatus, nisi per aliquid intrinsecum quo denominetur et sit talis.

2^o Scriptura frequenter dicit nos habere in nobis gra-

1. Hic q. 113, a. 2, o.

tiam, charitatem et justitiam qua justus sumus. *Joann.*, i, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* *Rom.*, i, 5 : *Per quem accepimus gratiam.* *Ephes.*, iv, 7 : *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* *Rom.*, v, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

3^o Justificatio peccatoris est effectus dilectionis Dei¹. Atqui dilectio non est affectiva tantum, sed effectiva, efficiens objectum dilectum intrinsece gratum et justum, ut probavimus supra dissert. IV, a. 1.

4^o Causa formalis distinguitur ab efficiente. Atqui justitia Christi est causa efficiens nostræ justitiæ. Ergo non est ejus causa formalis.

Confirmatur. Nostra justitia modo crescit, modo minuitur. Atqui justitia Dei et Christi est semper æqualis. Ergo.

Objiciunt hæretici quosdam textus Scripturæ, quibus innui videtur justificationem nostram fieri formaliter per justitiam Christi. *Rom.*, v, 19 : *Per unius obedientiam justii constituuntur multi.* Et iterum, 18 : *Per unius justitiam, in omnes homines in justificationem multi.* *I Cor.*, i, 30, Christus dicitur factus *justitia et sanctificatio* nostra.

Resp. hæc et similia non intelligenda esse in sensu formali, sed causali, quatenus Christus est causa efficiens et meritoria justificationis nostræ; quo sensu ibid. dicitur *sapientia nostra*; *Joann.*, xi, 25, *resurrectio et vita.* Et *Deuter.*, xxx, 20, dicitur *vita* hominum et *longitudo dierum.*

[*Petes* utrum, de potentia Dei absoluta, peccatum et gratia possint esse simul in eodem subjecto.

Resp. Peccatum, tam actuale quam habituale, et gratia non possunt, etiam de potentia Dei absoluta, esse simul in eodem subjecto.

Probatur. Gratia sanctificans, ex sua essentia et ratione,

1. Ibid.

est justitia, sanctitas et rectitudo, ejus primarius et formalis effectus est efficere eum cui datur justum, sanctum et rectum. Peccatum e contra, ex essentiali sua ratione, est iniquitas, immunditia, recessus a rectitudine et a subjectione erga legem divinam. Atqui stare non potest, etiam de potentia Dei absoluta, justitia cum injustitia, sanctitas cum iniquitate et immunditia, rectitudo cum recessu a rectitudine. Ergo gratia et peccatum non possunt esse simul in eodem subjecto.

Confirmatur. Effectus formales contrarii non possunt esse simul in eodem subjecto, quia sunt impossibiles. Atqui effectus gratiæ sanctificantis et effectus peccati sunt contrarii, et ideo impossibiles. Ergo.

Nota pro solutione objectionum. Peccatum non expellit gratiam physice, hoc sensu quod per formam positivam destruat gratiam agendo physice in illam. Expellit autem eam physice, id est, ex natura sua, subtrahendo ei subjectum et introducendo formam seu dispositionem incompatibilem cum gratia. Iniquitas enim, abjectio amicitiae Dei, recessus a Deo, mors animæ, etc., physice, hoc est, ex natura sua, expellunt justitiam, sanctitatem, amicitiam Dei, vitam animæ.]

ARTICULUS III

De actibus ad justificationem peccatoris adulti requisitis.

Concil. Trid., sess. vi, cap. 6, sex assignat actus quibus peccator adultus debeat disponi ad justificationem, scilicet actum fidei, timoris, spei, dilectionis Dei, pœnitentiæ seu contritionis, tandem propositum suscipiendi sacramenta instituta ad remissionem peccatorum, inchoandi novam vitam et mandata divina servandi; quod propositum in ipsa contritione includitur. Præcipua quæstio est de fide requisita ad justificationem, contra hæreticos.

Lutherani et Calvinistæ distinguunt duplicem fidem.

Primam vocant historicam, qua credimus omnia quæ in sacris litteris continentur; nos eam dicimus christianam et catholicam. Secundam vocant promissorum, qua credimus Deum promississe remissionem peccatorum. Hanc secundam subdividunt in generalem et particularem. Generalem vocant qua credimus Deum omnibus credentibus in communi promississe remissionem peccatorum et salutem; specialem vocant qua unusquisque credit vel certo confidit peccata sibi esse remissa propter merita Christi. Hanc enim fidem male confundunt cum fiducia quæ ad spem et voluntatem pertinet, non ad intellectum; est enim fiducia, ex S. Thoma, spes roborata.

Hanc ergo fidem seu fiduciam particularem requiri ad justificationem et eam solam justificare contendunt.

Dico 1^o: Fides requisita ad justificationem non est fiducia qua credimus seu confidimus peccata esse nobis propter Christum dimissa, sed qua credimus omnibus veritatibus a Deo revelatis, propter ejus auctoritatem et veritatem. Ita definivit Trid., sess., vi, can. 12.

[Hujus canonis tenor est: « Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse qua justificamur; anathema sit. »]

*Probat*ur 1^o apertissimis Scripturæ testimoniis. *Marc.* ultimo, 15 et 16: *Prædicate Evangelium omni creature. Qui crediderit, scilicet Evangelio et veritatibus in eo contentis, salvus erit. Rom.* x, 8 et 9: *Hoc est verbum quod prædicamus, quia, si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Ergo Christus et ejus resurrectio, non sola misericordia Dei peccata remittentis, sunt objectum fidei salvantis. *Joann.*, xi, 26 et 27, cum Dominus dixisset Marthæ: *Ego sum resurrectio et vita. Qui credit in me, non morietur in æternum.* Respondet illa: *Utique, Domine, ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Ergo fides requisita ad vitam æter-

nam, est credere divinitatem Verbi incarnati. Joannes cap. ult. sui Evangelii sic concludit, 31 : *Hæc scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Filius Dei vivi, et ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius.* Ergo idem quod prius. Omitto alia bene multa Scripturæ testimonia, ne longior sim.

Probatur 2º ex traditione. Ecclesia, ut ab initio ita nunc, cum fidem requirit a baptizandis, non aliam requirit quam illam qua credimus fidei articulis in symbolis contentis, non vero illam qua credimus seu confidimus peccata nobis esse dimissa. Quis enim unquam Apostolorum, aut episcoporum, aut cæterorum ministrorum, accedentem ad se causa justificationis, ita docuit : « Crede peccata tibi dimitti, et statim dimittentur. » Absurda sane et piarum aurium offensiva foret hujusmodi doctrina.

Probatur 3º. Fides innititur sola autoritate Dei revelantis, qui nec fallere nec falli potest. Atqui nullibi revelatum est mihi aut alteri particulari peccata esse remissa. Ergo id certa fide credere non possum.

Probatur 4º. Fides justificans præcedere debet justificationem; est enim causa illius. Atqui fides illa hæreticorum non præcedit, sed sequitur justificationem, alioquin esset falsa; nam falsa fides est qua credo dimissa mihi esse peccata, si nondum sunt vere dimissa. Si dicas, hac fide non credi peccata esse dimissa, sed hic et nunc dimitti, semper manet quod illa fides sit posterior ista remissione, quia ista remissio præsens est objectum hujus fidei; actus autem non facit nec specificat suum objectum, sed illud supponit et ab ipso specificatur.

Dico 2º : Neque illa fides specialis recentium hæreticorum, quæ vana est et nulla, neque fides vera et christiana sola sufficit ad justificationem.

[Ita definiit Trid., sess. vi, can. 9 : « Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi; anathema sit. »]

Hæc definitio est contra Lutheranos et Calvinistas, quibus præverat Simon Magus, teste Irenæo, lib. I de *Heres.*, c. 20, qui refert Petrum, Joannem, Jacobum et Judam suas epistolas contra hunc errorem scripsisse. Unde

Probatur ex his SS. Apostolis qui ex professo scripserunt contra hunc errorem. S. Jacobus, II, 14 : *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?... Et 17 : Fides, si non habet opera, mortua est in semetipsa.* Quod postquam multis probavit, concludit caput sic, 24 et 26 : *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum... Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.* Hæc sunt peremptoria, nec indigent glossa.

S. Petrus, II Epist., c. 1, 10, postquam hortatus est ad varia bona opera, concludit : *Quapropter, fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Fides ergo non sufficit, si desint opera.

Hæc tam sunt aperta contra præsentem errorem, ut hæretici negaverint has epistolas esse canonicas, quas tamen pro canonicis agnoscit Ecclesia in pluribus conciliis, ultimo in Trident., sess. IV.

Sed et aperte S. Paulus, cui male confidunt novatores, hunc errorem debellat. I Cor., XIII, 2 : *Si, inquit, habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero nihil sum.* Galat., V, 6 : *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* Rom., II, 3 : *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

Tandem Christus in Evangelio ubique commendat bona opera ut necessaria ad justificationem et salutem. *Matth.*, V, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Et infra, 20 : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Et cap. VII, 19 : *Omnis arbor quæ non facit fruc-*

tum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Cap. xix, 16 et 17, interroganti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Non ait: « Crede tantum; » sed: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et denique cap. xxviii, 19 et 20, non solum monet Apostolos ut fidem prædicent et baptizent, sed etiam vult ut *doceant servare omnia quæ ipse mandavit.*

Respondent nunc quidam hæretici, his testimoniis oppressi, fidem quam dicunt sufficere ad justificationem, non esse fidem solam, sed fidem junctam bonis operibus, non quidem quod hæc bona opera cooperentur ad justificationem, sed quia comitantur fidem justificantem velut ejus signa, vel ut proprietates et fructus ex ea sequentes. Unde dicunt, præfatis Scripturæ testimoniis damnari eos qui olim dicebant solam fidem mortuam et bonis operibus vacuum sufficere ad salutem; at non eos qui id tribuunt quidem soli fidei, sed fidei vivæ, activæ et bonis operibus stipatæ.

Sed *contra* 1°. Hæc responsio fucata et ad emolliendum horrorem immanis hujus erroris excogitata, aperte pugnat cum principiis hæreticorum. Nam illi docent: 1° hominem, dum per fidem justificatur, non vere fieri justum, sed reputari tantum, nec ulla ejus opera esse bona, sed omnia esse peccata mortalia, quamvis ei non imputentur propter Christum. Qua fronte ergo dicunt, non solam fidem, sed fidem junctam bonis operibus justificare, cum secundum illos nulla sint bona opera? 2° Docent hominem semel per fidem justificatum, nullo flagitio a justitia excidere posse. Ita Calvinus, lib. III *Institut.*, cap. 2, § 44, et Lutherus in Serm. super hæc verba: *Sic Deus dilexit*, etc., excipiens tantum incredulitatem. Sicque semel justificatus per fidem, quamvis fiat fur, homicida, adulter, sodomita, remanet justus. Ergo fides justificat sine bonis operibus, imo cum malis et pessimis; quod est antiqua hæresis in Scripturis damnata. Unde Lutherus, in cap. II *ad Galat.*, expresse dicit: « Fides sine et ante charitatem justificat. » Et tom. I disput. : an operaificent? proposit. 3, ait: « Fides, nisi sit sine ulla etiam minoribus

operibus, non justificat, imo non est fides. » Et ideo rigidiores Lutherani ingenue fatentur, bona opera nullatenus requiri ad fidem justificantem.

Contra 2°. Scriptura non minus tribuit munus justificandi et salvandi bonis operibus, quam fidei, ut patet ex locis citatis et aliis pluribus. Ergo, si fides cooperetur justificationi, ita et opera.

Arguunt præcipue hæretici ex Apostolo, qui, ut ipsis videtur, totus est ut asserat ad justificationem sufficere fidem sine operibus. *Rom.*, III, 28, ait: *Arbitramur justificari hominem per fidem, sine operibus legis.* *Ibid.*, IV, 2: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* *Galat.*, II, 16: *Scientes quod non justificatur homo ex operibus legis.* *Philipp.*, III, 9: *Ut inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ est ex fide.*

Resp. 1°. Esto Apostolus doceret, fidem sine ulla operibus sufficere ad justificationem, id nullatenus prodesset hæreticis; quia Apostolus intelligit fidem christianam et catholicam, qua credimus divinitatem Verbi incarnati, ejus resurrectionem et alia mysteria in Scripturis contenta, non vero illam fidem ridiculam seu fiduciam qua hæretici credunt peccata sibi esse dimissa.

Resp. 2°. Apostolum solum excludere opera quæ vel ante fidem vel post habitam fidem, sed sine fidei gratia fiunt, id est, opera quæ ex solis viribus naturæ et liberi arbitrii procedunt, qualia erant quædam honesta justitiæ naturalis opera apud gentiles, et opera Judæorum qui carnaliter legem Mosaicam observabant: unde pluries exprimit Apostolus *opera legis*, non vero excludit opera fidem consequentia et gratia fidei facta. Unde Augustinus, *de Grat. et Libero arb.*, c. 7, n. 48: « Homines, inquit, non intelligentes quod ait ipse Apostolus: *Arbitramur justificari hominem per fidem, sine operibus legis*, putaverunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi male vivat et bona opera non habeat. Quod absit ut sentiret vas electionis! »

Inst. Abraham et Galatæ jam renati erant et operaban-

tur ex fide, eo tempore de quo loquitur Apostolus. Attamen excludit eorum opera. Ergo.

Resp. Data maj., dist. min. Excludit eorum opera quæ fiebant ex gratia fidei, *nego*; quæ facta fuerant ante fidem, vel quæ post fidem habitam non fiebant ex gratia fidei, *conc.* Nihil obstat enim quod qui habet fidem, aliquando non operetur ex fide, ut dum peccat aut facit opus morale bonum sine relatione ad Deum.

Ad alia argumenta quæ obijciunt hæretici, accipe sequentes generales solutiones. Prima est: justificatio fidei tribuitur tamquam ejus initio et radici, non tamen excludendo alia opera ad eam disponentia. Ita Trid., sess. vi, cap. 8¹. Secunda: intelligenda est fides viva, *quæ per charitatem operatur*, ut loquitur Apostolus *ad Galat.*, v, 6. Tertia: per fidem aliquando intelliguntur ea quæ in Evangelio seu doctrina evangelica continentur, faciendo ea quæ secundum hanc doctrinam sunt facienda. Quarta: quando excluduntur opera, intelligenda sunt opera ante fidem vel sine fidei gratia facta, non vero opera quæ ex ipsa fidei gratia fiunt, ut explicui supra; vel opera legis Mosaicæ, vel opera externa, quando deest potentia illa exsequendi.

ARTICULUS IV

De aliis actibus ad justificationem adulti requisitis.

[Diximus initio articuli præced., ex concilio Trid., sess. vi,

1. « Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem et gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et expressit: ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire; gratis autem justificari dicamur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur; si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia. »

cap. 6, præter fidem, quinque alios actus requiri ex parte peccatoris ad sui justificationem, scilicet, actum timoris, spei, dilectionis Dei, contritionis, et propositum suscipiendi sacramenta ad remissionem peccatorum instituta et mandata divina servandi. Hi autem actus sic deducuntur. Fides illustrans mentem peccatoris exhibet ei, hinc divinam justitiam ipsi pœnas reservantem, illinc divinam misericordiam illi veniam offerentem. Inde exurgit in ejus voluntate timor divinæ justitiæ, deinde spes seu fiducia veniæ obtinendæ. Spem sequitur inchoata dilectio Dei ut totius justitiæ fontis; ex hoc enim quod Deus misericors peccatori pœnam timenti offert veniam, non solum spes excitatur, sed etiam tantæ bonitatis amor, saltem inchoatus, de ejus necessitate ad justificationem cum pœnitentiæ sacramento celebris fuit controversia suo loco dirimenda. Ex fide, spe et inchoata dilectione Dei nascitur peccati detestatio; quia hoc ipso quod peccator novit reservari peccatis suis pœnas, et ex hoc quod Deum ea sibi condonare paratum diligere incipit, movetur odio in peccatum, ut sibi nocivum et divinæ bonitatis offensivum. Hoc autem odium contritio dicitur, perfecta quidem, si peccatum displiceat principaliter ut Dei offensivum; imperfecta, si principaliter displiceat peccatum ut nocivum peccatori. Hæc autem contritio habet necessario adjunctum propositum novam vitam inchoandi et mandata divina servandi; non enim est in aliquo sincerus dolor de peccatis, nisi sincere velit ea deinceps vitare.

Petes a quo principio effective procedant actus contritionis et charitatis qui ultimo disponunt ad gratiam habitualementem.

Resp. dissentire in hac parte inter se theologos. Quidam dicunt has ultiores ad gratiam habitualementem dispositiones esse effective ab auxilio actuali transeunter communicato. Ita ex thomistis Joannes a S. Thoma, Sylvius, Contenson, cum pluribus extraneis. Quidam asserunt eas esse effective ab ipsa gratia habituali. Ita Gonet, Serra et alii. Tertia sententia, quæ utramque conciliare nititur, tenet hos actus ultimo disponentes ad justificationem esse

effective a virtute charitatis infusæ et pœnitentiæ, non permanenter per modum habitus, sed transeunter per modum actualis auxilii et motionis communicata. Unde gratia per modum auxilii prævenit illos actus, quos sequitur gratia per modum habitus, licet hæc omnia fiant in eodem instanti reali. Ita P. Goudin. Qui perpendere vult harum sententiarum momenta, ea requirat apud nostrum Billuart, in sua fusiori *Summa*. De cætero, non magni referre videtur quænam cuique potior appareat.]

ARTICULUS V

*Quædam quæstiunculæ ad complementum quæstionis
D. Thomæ breviter resolvuntur.*

Petes 1º utrum justificatio impii fiat in instanti.

Resp. 1º. Justificatio impii sumpta pro infusione gratiæ et remissione peccatorum, fit in instanti¹; quia quod forma successive producat, provenit ex hoc quod vel subjectum non sit in ultima dispositione, vel quia agens, cum sit finitæ virtutis, indiget tempore ut vincat resistantiam subjecti et formam introducat. Atqui hic supponimus ultimam dispositionem, cum sit sermo de justificatione impii prout dicit simpliciter infusionem gratiæ, et aliunde, cum Deus nullam requirat dispositionem nisi quam ipse facit, potest eam efficere in instanti quo producit ipsam gratiam, sicut fecit in Paulo, et cum sit infinitæ virtutis, non indiget tempore ut vincat resistantiam subjecti. Ergo.

Confirm. Quando inter extrema mutationis vel motus non est medium per quod perveniatur ab uno extremo ad aliud, transitus de uno ad aliud fit in instanti. Atqui inter extrema justificationis, quæ sunt gratia et gratiæ privatio, non datur medium. Ergo.

Resp. 2º. Si vero justificatio sumatur, non solum pro infusione gratiæ, sed etiam pro dispositionibus quibus

1. Hic q. 113, a. 7, o.

peccator præparatur, licet possit fieri in instanti, ut in Paulo et Magdalena, ordinarie tamen fit successive; quia istæ dispositiones quas requirit Trid., sess. vi, cap. 5 et 6, ordinarie præcedunt tempore ipsam gratiæ infusionem.

Petes 2º utrum justificatio sit maximum opus Dei.

Resp. 1º. Si justificatio spectetur ex parte modi agendi, creatio est majus opus quam justificatio; quia excellentissimus modus operandi est facere aliquid ex nihilo. Si vero justificatio spectetur ex parte rei productæ, est majus opus creatione; quia bonum ad quod terminatur creatio est bonum naturæ mutabilis, dum justificatio terminatur ad bonum æternum et fixum divinæ participationis, quod in spe tantum nunc habetur, glorificatio autem terminatur ad idem bonum æternum in re possessum. Si tandem justificatio spectetur juxta quantitatem proportionis in impio qui justificatus, est majus opus quam glorificatio; quia donum gratiæ plus excedit dignitatem impii qui erat dignus pœna, quam donum gloriæ dignitatem justi, qui ex hoc ipso quod est justificatus, est dignus gloria.

Petes 3º utrum justificatio impii sit opus miraculosum.

Resp. 2º. Justificatio impii, prout fit communiter, potest dici mirabilis; quia quæ a sola virtute divina fieri possunt, habent causam occultam, et hac ratione sunt mirabilia. Non tamen justificatio proprie dici debet miraculosa, quia ad miraculum proprie dictum non sufficit quod a solo Deo opus fieri possit, sed debet esse præter communem divinæ providentiæ cursum, ut resurrectio mortui, illuminatio cæci nati. Justificatio autem, prout fit communiter, est secundum communem divinæ providentiæ cursum. Est enim communis et consuetus cursus justificationis, ut, Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam perveniat. Quando vero Deus, præter hunc communem cursum, subito movet ad perfectam

1. Ibid., a. 9, o. — 2. Ibid., a. 10, o.

justificationem, ut Paulum et Magdalenam, tunc justificatio recte dicitur miraculosa.]

DISSERTATIO VI

DE MERITO JUSTI

D. Thomas, q. 114.

ARTICULUS I

Quid et quotuplex sit meritum? quas conditiones requirat?

Meritum latius sumptum significat dignitatem rei ob quam exigit aliquid, et sic convenit etiam inanimatis: sic dicitur quod elegans pictura mereatur videri, quod ager fertilis mereatur coli. Meritum proprie sumptum convenit actibus tantum, estque proprietas actus humani moraliter boni dicens proportionem ad præmium; loquimur enim hic de merito in bonam partem, non in malam, quod distinctionis causa dicitur demeritum.

Duplex distinguitur meritum, unum *de condigno*, alterum *de congruo*. Meritum de condigno est opus cujus valor æquat valorem præmii et cui redditur præmium ex justitia. Meritum de congruo est opus cujus valor non æquat valorem præmii, et cui non debetur præmium ex justitia, sed ex congruitate tantum et decentia, amicitia seu liberalitate præmiantis.

Meritum de condigno est proprie et simpliciter meritum, meritum de congruo improprie tantum et secundum quid, quia non habet æqualitatem ad id quod ejus intuitu datur. Exemplum poni solet in milite generoso, cui proprium stipendium datur de condigno, de congruo autem beneficium nobilitatis aut aliquod donativum a rege.

Meritum de condigno est duplex, unum de rigore justitiæ, aliud de condignitate tantum. Primum sic importat

valorem æqualem ad præmium, ut excludat omnem gratiam factam personæ merenti a præmiante, et tale fuit meritum Christi. Alterum importat quidem valorem æqualem ad præmium, sed supposita aliqua gratia facta personæ merenti a præmiante, et de hoc merito apud Deum hic præcipue agitur.

Conditiones requisitæ ad meritum.

Sex conditiones requiri solent ad meritum: prima, ut opus sit liberum; secunda, ut sit bonum; tertia, ut fiat in obsequium præmiantis; quarta, ut operans sit viator; quinta, ut sit in statu gratiæ; sexta, ut ejus opus sit a Deo ordinatum in præmium.

Explicatur sexta conditio, de qua est aliqua difficultas.

Sexta conditio¹ est ordinatio seu promissio et pactum Dei ordinantis bonum opus ad præmium seu mercedem: non quod bonum opus valorem seu condignitatem suam intrinsecam habeat ab illa promissione; sed quia ultra dignitatem, quam totam habet ex gratia, necessaria sit promissio de mercede reddenda, ad hoc ut qui ex gratia est bene operatus, habeat jus ad mercedem, et Deus obligetur illi reddere. Ita communiter contra Vasquez et quosdam alios.

*Probat*ur 1^o ex Scriptura. *Matth.*, xx, paterfamilias, per quem significatur Deus, conventionem fecit cum operariis de denario diurno. 2^o Ita definivit Trid., sess. vi, cap. 16^o. 3^o Idem docet Augustinus, serm. 158^o. 4^o Tandem ratione probatur. Meritum importat in merente jus ad bonum præmiantis, et in præmiante obligationem ad illud red-

1. Hic q. 114, a. 1, ad 3, et a. 2, o. — 2. « Bene operantibus usque ad finem et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. » — 3. Olim 16 de verbis Apostoli.